



The Holy See

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE *CUM DE BEATA**

**BEATA MARIA VIRGO, QUAM POPULUS COGNOMINAT
«NUESTRA SEÑORA DE LA PAZ» PATRONA PRAECIPUA
DIOECESIS CARTHADENSIS IN COLUMBIA CONFIRMATUR.**

Ad perpetuam rei 'memoriam. — Cum de beata Maria Virgine honoribus augenda, Christi Matre sanctissima, agitur, eademque christiani populi auxilio atque praesidio ad salutem certissimo, aequo semper animo petitis concedimus; cum vero de eadem castissima Dei genetrice pacis conciliatrice res est, tunc ardor ingens atque cupiditas sanctae Matris gloriae amplificandae animum Nostrum incendunt.

Quam ob rem, cum venerabilis Frater Iosephus Gabriel Calderón, Episcopus Carthadensis in Columbia, pietate motes erga caelestem Reginam, suo suorumque cleri ac fidelium nomine, ab hac apostolica Sede petierit ut beatissimam Virginem Mariam, quam sacra plebs antiquissima religione sub titulo Nuestra Señora de la Paz veneraretur, quamque idem sacer Antistes principalem dioecesis Patronam elegisset, talem confirmaret, ad normas Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis, n. 30, Nos ea probantes quae Sacra Congregatio pro Cultu Divino, facta olim potestate, statuit optata permittimus.

Cum ergo constet omnia, quae acta sint, ad iuris normam facta esse, placet beatissimam Virginem Mariam, sub titulo Nuestra Señora de la Paz, patronam principalem dioecesis Carthadensis in Columbia confirmari, cum omnibus iuribus et privilegiis liturgicis iuxta rubricas consequentibus; contrariis nihil obstantibus.

Ceterum, volumus ut hae Litterae Nostrae sive nunc sive in posterum ad amussim serventur, vimque suam habeant.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Maii, anno MCMLXXII, Pontificatus Nostri nono.

ALOISIUS Card. TRAGLIA

S. R. E.

Cancellarius

*A.A.S., vol. LXIV (1972), n. 7, pp. 475-476 © Copyright 1972 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana